



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus De Executoribus Vltimarvm Volvntatum duorum  
celeberrimorum iurisconsultorum**

**Canis, Johannes Jacobus**

**Constantia, 1593**

**VD16 ZV 2896**

3. Executores vltimarum voluntatum, variè appellantur: eódem tamen  
recedunt.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63406)

Vnde Zasius executionem rectè accipit, pro  
 actione iudicati, quam tertius possit impedire  
 pro suo interesse, idq; mirabile reputat. Alias  
 deniq; exequi, denotat perficere, ad finem per-  
 ducere. Hinc dicti sunt executores, publici iu-  
 dicum ministri, quorum officium est, vt man-  
 data & sententias ad effectum perducant l.  
 executorem C. de execut. rei iud. Vbi Acur-  
 sius tractat quasdam huius verbi significa-  
 2 tiones, admodum frigidè. Eadem t ratione exe-  
 cutores vltimarum voluntatum dicuntur, quo-  
 niam iussa testatoris ad amissim exequuntur.  
 Quemadmodum enim magistratum non decet,  
 ac ne quidem posse constat, adire priuatim sub-  
 ditos, & curare, vt satisfiat suis decretis: ita  
 multò minus potest defunctus testator huc re-  
 dire, admoniturus ( quicquid phanatici som-  
 nient ) vt conseruetur ac procedat voluntas  
 sua. Vterq; igitur sumopere indiget executori-  
 bus, quibus rem committat perficiendam bona  
 3 fide. Interim t executores vltimarum volun-  
 tatum saepe appellantur fideicommissarij apud  
 Bartolum, treuhender. Item, distributo-  
 res, dispensatores, apud Specu. Quæ omnia ten-  
 dunt

dunt eodem. Modò tamen memineras longam esse differentiam inter fideicommissarios, de quibus tractatur in tit. ff. C. de fideicom. ac illos, quorum munus nunc frequentatur in nostra Germania.

Vsus autem introduxit, † vt compen- 4  
 dio quodam loquendi dicamus, istos execu-  
 tores vltimarum voluntatum, vno verbo te-  
 stamentarios. Quæ phrasis perperam recepta  
 est. Quamuis enim & leges 12. tabularum di-  
 cebantur Duodecim. vt quæ omnibus notissi-  
 mæ essent: Cicero de Orato. lib. 11. Discebamus  
 enim (inquit) pueri duodecim, vt carmen ne-  
 cessarium, quas iam nemo discit, & in nouo  
 quoq; Christi testamento, duodecim dicuntur  
 apostoli, qui tot erant, longè tamen alia illius  
 appellationis est ratio. Testamentarij † autem 5  
 vox, quia ambigua est, cum adiuncto poni de-  
 bet, vt appareat, vtrum substantiue intelligen-  
 da sit pro eo, qui falsa conficit testamenta: an  
 adiectiue, pro persona vel re ad testamentum  
 pertinente, vt testamentarius scribe, testa-  
 mentaria tabella, testamentaria lex, hoc est  
 Cornelia, quæ punit testamentarium, sicut ele-  
 ganter